

perfacies Soli obvertit, modò longior modò brevior apparet, pro-
ut figura superfaciei radios solis refringens fuerit affecta.

Sed unde Curvitas & Obliquitas caudæ? Certum est radios
lucis in superficie quidem diaphani diversi suo modo frangi, post
illam verò directè iterum progredi; secùs autem fit in Cometa-
rū Syrmate per caput refracto, quod non semper rectam lineam,
sed arcum repræsentat, ut An. 1577. & 1618. Deinde radii lucis
in objecto globo pellucido refringuntur quidem, post eum verò
simul omnes ad idem punctum concurrunt, quod corpori lucido
directè est oppositum; Caudæ verò tractus à loco Soli opposito
nonnunquam declinare & obliquo tramite aliorsum tendere de-
prehenditur. Utriusq; eandem causam esse putat Keplerus in
Astrom. Opt. C. 6. num. 13. videlicet *Refractionem*. Et ut clariùs
hoc demonstret, principiò supponit, quod hæctenus dictum, Co-
metæ caput esse globum pellucidum, in quem incidentes radii
Solis duplici refractione, unâ in ingressu, alterâ in egressu, cogun-
tur in unum punctum post globi tergus, à quo puncto deinceps,
ut leges opticæ requirunt, radii disperguntur, & divaricantur,
rursus in contrarios divergentes plagas. His positis concedi po-
stulat, ut alterum capitis latus, seu figuræ seu densitatis ratione, radios
solis non transmittat, quo concesso, ait: igitur illa cauda pars præ-
cidetur, reliqua in latus alterum declinans, sola cauda totius ideoq;
& declinantis speciem exhibebit: Porro etiam, mutata corporis come-
tici dispositione vel situ ad Solem, inclinatio hæc mutari poterit, ut an-
no 1596. cauda primum ad dexteram declinabat, inde in ipsam diame-
tram Solis competebat, deniq; transibat ad sinistram. Sed hæc ob-
liquitatem caudæ saltem quodammodò salvant, non Curvita-
tem, quam alii refractionibus ab aëre nostro circa Horizontem
factis, ut Galilæus, alii aliis ascribunt causis. Ricciolus in Al-
magesto novo l. 8. Sect. 1. probabile putat *Curvitatem caudæ, seu*
radiorum Solis exeuntium à capite Comete, oriri posse ex aliâ atq;
aliâ refractione à perpendiculari factâ extra caput Comete, in mate-
riâ spectante ad Cometam, sed non æquè densa ac sit Comete caput;
imò in seipsâ habente varios gradus densitatis, minoris & minoris,
quo magis à capite distat: id enim si concedatur, & centrum totius
materiæ Cometicæ, à quâ ducendæ sunt perpendiculares regulatiæ
refractionum, non sit ipsum centrum capitis Comete, facile à periculis
dioptri-